

videtur quod dividitur in duas partes, ut pars prima sit de substantiis, pars altera de verbis, admodum breviter et concisamente. In parte prima videtur quod substantia est pars primaria, et pars secundaria est pars secundaria, et pars tertia est pars tertia. In parte secunda videtur quod verbum est pars secundaria, et pars tertia est pars tertia. In parte tertiaria videtur quod substantia est pars primaria, et pars secundaria est pars secundaria, et pars tertia est pars tertia.

De constructione particulae quum.

Quaerenti mihi de vi et natura particulae quum diu idem accidit in hac re levi et exigua, quod Simonidi cuidam accidisse fertur in re gravissima, ut, quanto diutius considerarem, tanto mihi res videretur obscurior. Adeo enim varia ac mutabilis et vis hujus particulae est et constructio, ut speciem quandam veri praese ferre videatur praecipuum eorum, qui nullo discrimine indicativum et conjunctivum huic particulae adjungi posse statuerunt. Quam sententiam, quoniam jam diu explosa est, argumentis refellere nihil attinet. Gravior est altera illa antiquior: quum temporale indicativum, causale conjunctivum sibi adsciscere; quae haud dubie proprius accedit ad veritatem; tamen si quis hoc pracepto stare velit, tertio quoque versu reperiat, nec omnino verum esse, nec satis late patere. Recentiore demum aetate a grammaticis intellectum est, non particulas, sed sententiam efficere conjunctivum. Quamobrem de hujus modi vi et natura accuratius quaerebant, consensumque a plurimis est, indicativo res actas, conjunctivo cogitatas notari. Ad hanc igitur rationem exigeant particularum omnium constructiones; idque rectissime mihi fecisse videntur. Verum ut in vita difficile est, quae recta esse cognoveris, ea ad usum transferre, sic communes illae linguarum rationes, quamvis vere sint, adeo sunt interdum abditae atque obscurae, ut haud facile eas animadvertis. Quae quum in aliis locis videre licet, tum maxime in particula quum. Quamobrem non alienum mihi videbatur, hunc locum paullo accuratius exquirere. In quo non tam illud secutus sum, ut alios docerem, quam, quid ipse statuerem, exploratum haberem.

Luculenter, ut multa, hunc locum persecutus est Reisig Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft, herausgegeben von Haase. Leipzig 1839. p. 530 sq. ubi in adnot. 468—471. editor hujus libri F. Haase alios laudat, qui hunc locum te-
tigerunt. Praeter hos conferendi sunt Hottinger ad Ciceronis eclogas XII, 345.
II, 48. IV, 12. IX, 272. — Gernhard opuscula p. 99. adn. 9. et 12. Aug. Gro-
tfend Commentar zu den Materialien lat. Stilüb. Exc. I et II. Homberg quae-

stio grammatica de vi et usu vocis quum. Dortmund 1837. Neukirch de indicativo et conjunctivo modo in utenda quum particula; qui unam partem tractat. De orthographia hujus particulae vide Hottinger ad Cicer. Eclog. p. 345. et Hand Tursellin. s. v. quum.

Est autem particula quum adverbium relativum cum significatione tam late patente tamque infinita, ut, si communem quandam reperire velis, frustra labores. Hac enim una particula continentur hae significationes universae: wenn, so oft als, seitdem, während, indem, dadurch dass, darüber dass, obgleich, da, weil, sowol; est igitur et temporalis et conditionalis et concessiva et causalis et copulativa et consecutiva. In tanta significationum varietate facile quis credere possit, nullam esse communem et propriam hujus vocis significationem praeter unam relationis, ut ita dicam. Tamen verisimilius est, primam hujus particulae significationem fuisse temporis, unde reliquae originem duxerint. Haec temporis significatio quum in plerisque locis manifesta sit, parum convenire videtur, quum est concessiva haec particula (obgleich) et causalis (da, weil). Nec tamen dubium est, quin etiam his locis a temporis significatione profecta sit. Nam quum duae res contrariae in aliquo tempore positae particula quum inter se comparantur, has res contrarias esse non ipsa particula notatur, sed, quod animo cernitur, tamquam particulae, qua sententiae inter se copulantur, adhaerere videtur. Ponam duo exempla, quibus res magis appareat. Quum haec Romae agebantur, Chalcedone Antiochus sollicitavit civitatum animos. Liv. 36, 5. Cretensium legati, quum in earum insula noster imperator exercitusque esset, ad Cn. Pompejum in ultimas prope terras venerunt. Cic. p. lege Man. 16, 46.

In priore exemplo videmus duas res, non similitudinis aut dissimilitudinis, sed una temporis ratione inter se juntas. In altero quoque duae res, quae eodem tempore gerebantur, conjunctae sunt, sed duae illae res dissimiles sunt atque etiam inter se pugnare videntur. Hoc quum animo cernamus, etiam particula notandum putamus. Ex quo fit, ut secundum locum nos interpretemur: obgleich auf ihrer Insel unser Feldherr war. Verumtamen si quis hanc significationem concessivam a particula quum repetendum esse arbitretur, vehementer erret. Quod hoc loco etiam magis appetat eo, quod ne nobis quidem non licet dicere: während auf ihrer Insel unser Feldherr war, i. e. nobis quoque licet, tametsi res inter se pugnantes junctae sunt, tamen neglecta hac sententiarum ratione particula unum tempus significare.

Causae autem significationem (da, weil) cum temporis arctissime cohaerere, nemo est, qui nos intelligat. Neque enim solum in iis, quae aguntur, quae sine temporis notione ne mente comprehendi quidem possunt, sed etiam in iis, quae aut sunt, aut cogitantur, velut in conclusionibus dialecticorum, quae temporis utique expertes sunt, causa, si non re, at cogitatione antecedit effectum. Etiam in nostro sermone duae particulae causales da, weil, altera loci est, altera temporis. Weil enim temporis esse (die Weile) appetat ex locis ejusmodi: Dich erhebe meine Zunge, weil ich lebe; in quo weil temporis sit, an causae ambiguitur; sine ambiguitate cum temporis significatione eam posuit Gellert: Weil ich mit der Frau Nachbarin rede, so fiel etwas in der Küche. cf. Adelung Wörterbuch s. v. weil. Non igitur mirum esse debet, temporis particulam etiam enuntiatis concessivis conditionalibusque copulandis inservire.

Difficilior autem altera quaestio est, cur conjunctivus huic particulae adjungatur, et si hujus rei ratio explorata est, cur in hoc modo ponendo non diversi solum diversorum temporum, sed idem scriptores tam parum sibi constituerint. Nam in quinque illis generibus, quae supra constituimus, et indicativus et conjunctivus reperitur, quod infra exemplis demonstrabitur. Ex quo tamen non sequitur, promiscue Latinos usos esse indicativo et conjunctivo, i. e. nullam rationem secutos esse. Hoc enim statuere non est de re quaerentis sed totam questionem abjicientis.

Et mihi quidem de hac re consideranti maxime probabile hoc videbatur. Ut deducta est haec particula a pronomine relativo, sic etiam ejus constructionem accepit. Hoc si tenemus, non solum conjunctivus huic particulae adjunctus facilem habet explicationem, sed etiam constructionis illa, quae esse videtur, varietas et inconstantia. Satis enim inter grammaticos constat, enunciata a pronomine relativo ducta, quum quasi appositionis loco nomini alicui adjuncta sint, nisi alia causa eonjunctivi ponendi accedat, constanter indicativo comprehendendi, quum vero haec enunciata interiore quadam ratione cum altero enunciato cohaereant, conjunctivo. Interiores autem illae rationes ad consilium maxime pertinent ad eventum, ad causam remque contrariam alteri adjunctam et sententiam infinitam.

Sunt autem multi, qui eripiunt aliis, quod aliis largiantur. Cic. de off. 1, 14. Prorsus haec divina mihi videtur vis, quae tot res efficiat et tantas. Cic. Tusc. 1, 26, 65. Etenim nomen legati ejusmodi esse debet, quod non modo inter sociorum jura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur. Cic. Verr. II, 1, 33 ex. Qui potest temperantiam laudare is, qui summum bonum in voluptate ponat. Cic. de off. 3, 33. qui idem est, quod quamvis.

Neque vero hoc ita existimandum est, quasi conjunctivus his locis necessario ponи debeat. His enim omnibus locis non minus recte indicativus ponitur.

Sententia finalis: In ipso apparatu belli legati a rege Ptolomaeo venerunt qui nuntiarunt, Athenienses adversus Philippum petisse ab rege auxilium. Liv. 31, 9 in. Legati haud dubie venerunt eo consilio ut nuntiarent. Potuit igitur Livius scribere: qui nuntiarent, ut scripsit 32, 39: tyrannus legatos Elateam ad Quinctium mittit, qui nuntiarent, et ut vulgo dicitur. At vero Liv. 27, 16: literas ad principes dedit, quae ad Hannibalem delatae sunt — nisi mutata sententia conjunctivum utique ponere non potuit, quod omnino illae literae non eo consilio datae erant, ut ad Hannibalem perferrentur.

Causalit: Cic. Cat. Maj. 14, 46: habeo senectuti magnam gratiam, quae mihi sermonis aviditatem auxit, potionis et cibi sustulit. Apparet verbis: quae — auxit, causam contineri gratiae habendae et tamen indicativus positus est, ut Cic. Att. 13, 10, 1: o te ferreum, qui illius periculis non moveris. cf. Cic. Fam. 12, 23, 4. Plaut. Stich. 1, 1, 1. Mostel. 1, 3, 32. 2, 2, 9. — Cic. Phil. 1, 15. falsus etiam esset conjunctivus. Pari modo exempla ex hoc genere omnia, quae laudantur apud Zumptium, indicativo poterant efferri. cf. Madwig lateinische Sprachlehre für Schulen §. 366, Anm. 1.

Consecutiva: Cic. Att. 1, 15, 3: genus enim conditionis ejusmodi erat, in quo non solet esse controversia. — Cic. ad Q. Fr. I, 1, 2, 7. — pr. Planc. 9, 24. —

Verr. II, 1, 32; retinenda enim mihi scriptura Graevii: quum — poterant — videtur, nec jure mutata esse ab Orellio et Zumptio. Simillimus locus est Cie. leg. Man. 1, 3. cf. Liv. 9, 3 ex. bis. — Tusc. 1, 49, 116: ita sunt multi, quibus videmus optabiles mortes fuisse cum gloria. Verr. II, 2, 57 ex.: quum haec tam improba sint, quae fatetur. Extremi duo loci a nostra ratione sunt alieni et indicativi necessarii. cf. Hand. lat. Stil. p. 203.

Concessiva: Vos eum regem inutum esse patiemini, qui legatum populi Romani consularem vinculis ac verberibus atque omni supplicio excruciatum necavit. Cic. leg. Man. 4, 11.

Nullamne igitur rationem in utroque modo ponendo secuti sunt Latini, atque ex sua quisque libidine, utrum vellet, ponere poterat? Poterat sane, si non libidine ductus, at judicio. Est enim, quod differat inter utramque constructionem. Quod quale sit, infra dicam, quum de particula quum ipsa agetur. Hoc autem loco illud monendum videtur, non ideo illa enuntiata conjunctivo comprehendendi, quod aut causa aut consilium aut eventus illis contineatur aut sententia alteri contraria, sed haec omnia, ut modo vidimus, posse indicativo effeiri, nisi is, qui loquitur, ea ipsa velit significare, i. e. conjunctivo non tam, quid sit, notari, quam quale quid esse dicat is, qui loquitur; conjunctivo igitur sententias non simpliciter effeiri, sed referri ad sententiam loquentis. Quod si verum est, reliqua proclivia sunt. Nam et illud intelligitur, cur diversi, scriptores, suo quisque ingenio suam sibi finixerint dicendi consuetudinem, et cur singulae aetates in hoc genere discrepent, denique cur communi dicendi consuetudine usus quidam loquendi increbuerit ab nostro dicendi more alienus.

Verum ad propositum redeo. Postquam magnam copiam exemplorum ex aliis scriptoribus congesseram, fabulas Plauti et Terentii hoc uno consilio perlegi, ut qualis apud eos usus particulae quum esset, cognoscerem. Congessi igitur exempla, quae exstant apud illos, omnia, Plauti trecenta, nonaginta Terentii. Ea plurimum conferre mihi videntur ad hunc locum explicandum.

Ac primum quidem diu dubitabam, eane exempla omnia huc transcriberem, an omissionis iis, quae a vulgari usu non recedunt, ea tantum excerpterem, quae ad rem explicandam maxime pertinere viderentur, suoque loco quaque interponerem. Quae dubitatio mihi exempta est, quum cogitarem, non alienum esse a proposito nostro Plauti Terentiique usum in hoc genere cognoscere et quasi uno conspectu intueri, ista ratione dissipari omnia nec facile posse animo comprehendendi. Exempla igitur omnia proponam, et in communibus quidem satis habebo, quo quodque loco reperiatur, notasse, ea autem, quae ad locos difficiliores pertinent, aut ab usu posterae aetatis recedunt, ipsis scriptorum verbis exscribam ac brevi comprehendam, quid in hoc genere illorum scriptorum proprium sit. Haec si cui levia videntur, nec digna, quae legantur, is poterit facile praetermissso hoc loco illam legendi molestiam effugere. Mihi quidem satis erit, si uni tantum aut alteri consuluerim.

1) Quum temporale cum indicativo.

- a. Cum significatione wenn et tempore praesenti: Sed ego hoc verbum quum illi cuidam dico, praemonstro tibi Plaut. Trin. 2, 2, 61. Terra q. proscinditur 2, 4, 122.

q. hic nugatur 4, 2, 55. — q. aliena est oratio Mil. gl. 3, 1, 51. — q. venit in mentem 4, 8, 48. — q. mecum cogito 4, 9, 65. — q. revertor Pseud. 1, 2, 30. q. scribuntur 1, 5, 131. q. petimus 2, 3, 17. q. condunt 3, 2, 31. — q. amas Persa 2, 2, 46. — quum occido Rudens prol. 71. — quum revertor Stich. 1, 2, 6. quum recogito 2, 1, 29. quum cogito 3, 1, 39. — quum intelligunt Truc. prol. 17. quum aggerimus 1, 2, 16. quum amamus 1, 2, 88. q. mentiuntur 1, 2, 89. q. rem agito 2, 5, 3. q. video 2, 7, 15. — q. contempto Amphit. 1, 1, 286. q. cogito 1, 2, 4. q. petimus Asinar. 1, 3, 48. — q. celo Aulul. 1, 1, 35. q. it dormitum 2, 4, 23. — q. caret Aulul. 2, 2, 5. — q. vides Capt. 3, 4, 82. q. cogito 5, 4, 25. — q. aperitur Curn. 1, 1, 22. q. exit v. 23. q. recogito 3, 1, 5. q. cogito 4, 4, 27. — q. puto Casina 3, 2, 25. q. cogito 5, 2, 31. — q. mihi refert Epid. 2, 1, 1. q. usus est 2, 1, 2. q. sto 3, 2, 8. q. asto 5, 2, 26. — q. interpretor Bacch. 4, 2, 15. q. intelligo 3, 3, 45. — q. cogito Mostel. 3, 1, 27. q. umbra est 3, 2, 79. q. verba facis 3, 2, 116. q. itant 1, 2, 48. — q. mihi obloquere Menaech. 1, 2, 46. q. conspiciunt 2, 1, 1. q. inspicio 2, 1, 29. q. suppilas 5, 1, 39. q. advenit 5, 2, 7. q. noscito 5, 9, 5. q. pro si positum videtur.

Cum perfecto. Quum cepit Pseud. 1, 4, 8. cf. 3, 2, 42: cicilendrum quando in patinas indidi, eae ipsae sese patinae fervefaciunt illico. — q. emissus est Persa 3, 3, 31. — q. novit Asin. 2, 4, 88. — tributus q. imperatus est Epid. 2, 2, 43.

Cum futuro I. Q. veniet Trin. 2, 4, 21. — q. periculum facies Mil. glor. 3, 1, 41. — q. poschet Merc. 2, 4, 24. — q. scribent Poenul. 2, 1, 16. — q. censemus Amphit. 3, 3, 14. — q. imitabor Asin. 2, 2, 104. q. referiam 2, 2, 108. q. audiet 4, 1, 4. — q. scribetur Capt. 4, 2, 5. — q. dicet, q. haec dicentur Casin. 1, 46. — q. otium erit 2, 2, 40. — q. veniam 3, 1, 13. — q. ducet Cistel. 2, 1, 54. — q. videbis Bacchid. 1, 2, 37. — q. rescisces 4, 7, 28. — q. videbunt Mostell. 1, 3, 75.

Cum futuro II. Q. sumpsero Trin. 4, 2, 99. — q. veneris Mercat. 4, 1, 64. — q. advenero Rudens 4, 6, 2. Amphitr. 1, 1, 42. — q. advenerit 1, 2, 4. q. accesserit 3, 4, 18. — q. lassus fueris Casina 1, 42. — q. resciverit Bacchid. 2, 3, 124. cf. Mil. gl. 2, 6, 44: quando exierit Sceledrus a nobis, cito transcurrito.

Cum imperfecto. Q. inde suam quisque ibant diversi domum Rudens 4, 7, 26. — q. ad te veniebam Asin. 1, 3, 55. Tamen, quoniam plura exempla imperfecti non reperi, haud scio an his quoque locis verius reddatur particula q. verbo als.

Terent. q. considero Heaut. 2, 4, 5. — q. venit in mentem Hecyra 5, 1, 7. — q. res secundae sunt Phorm. 2, 1, 11. q. in noxa est 2, 1, 37. — q. dico Adelph. 1, 2, 16. q. placo 1, 2, 64. q. fervit 4, 1, 18. — q. coenant

Eun. 5, 4, 14. — q. cognovit 5, 4, 11. — q. dabit Heaut. prol. 33. 4, 5, 54. — q. videbit Ad. 4, 5, 34. — q. sciet Hec. 4, 1, 61. — q. dixerit Hecyr. 3, 5, 25. — q. audierit Phorm. 1, 4, 9.

b. cum significatione seitdem.

Minus quindecim dies sunt, quum pro hisce aedibus minas quadraginta accepisti Plaut. Trin. 2, 4, 1. Hanc domum jam multos annos est, q. possedeo Aulul. prol. 4. Abhinc annos factum est sedecim, q. conspicatus est Cassina prol. 40. Septem menses sunt, q. in hasce aedes pedem nemo introtulit Mostel. 2, 2, 39. Jamdudum factum est, q. abiisti domo Trinum. 4, 3, 3. Nam illi quidem haud jam diu est, q. dentes exciderunt Mercat. 3, 1, 44. Siquidem hic leno nondum sex menses Megaribus huc est, q. commigravit Pers. 1, 3, 57. Jam diu est factum, q. discessisti ab hero atque abiisti in forum Asin. 2, 1, 3. Jamdudum factum est, q. primum bibi 5, 2, 40. Omnibus his locis positum est quum pro postquam, ut Menaech. 2, 1, 9: hic annus sextus, postquam ei operam damus.

c. pronominis relativi loco positum.

Hic est ille dies, q. nulla vita meae salus sperabilis est Plaut. Capt. 3, 3, 3. Jam aderit tempus, quum sese etiam ipsa oderit. Bacchid. 3, 3, 13. Videre videor diem illum, quum hic egens profugiet aliquo militatum. Terent. Adelph. 3, 3, 30.

d. quum praecedunt adverbia temporis.

Olim, q. sudum est Plaut. Mil. gl. 1, 1, 2. Quam mare est olim, q. alcedo pullas educit suas Poen. 1, 2, 143. Nunc lenonum plus fere, quam olim muscarum est, q. caletur maxime Trucul. 1, 1, 46. Olim, q. abiit Pseud. 2, 2, 29. Olim, q. dabam Asin. 1, 3, 53. Olim, q. illiciebas me ib. v. 54. Olim, q. illi subblaniebar Most. 1, 3, 64. Nunc, q. rem cognosco Mil. gl. 2, 6, 79. Nunc, q. hic non adest Pseud. 4, 7, 12. Nunc id est, q. omnium copiarum — viduitas nos tenet Rudens 3, 3, 1. Nunc, q. esse credent servum Amph. pr. 128. Nunc, q. est melius Asin. 1, 2, 18. Nunc, q. compares Aulul. 4, 4, 2. Nunc, q. clamas Most. 3, 1, 60. Dudum, q. pullam mihi detulisti Menaech. 2, 3, 41. Dudum, q. obsonabas Mercat. 4, 4, 14. sie: dudum, ut accurrimus Cistell. 4, 2, 44. Mox, q. veniet. Poen. 3, 4, 17. Q. modo exibat foras Rud. 2, 2, 2. Modo, q. dicta in me ingerebas Asin. 5, 2, 77. Tum denique homines nostra intelligimus bona, q., quae in potestate habuimus, ea amisimus Captiv. 1, 2, 40. Bacch. 3, 5, 20. Tunc, q. abiit Capt. 4, 2, 107. Pridem, q. ei adversus veneram Cas. 2, 8, 27. Heri, q. emi hosce homines Capt. 3, 2, 2. Hodie, q. in concionem medium me immersi Men. 3, 1, 1. Olim, q. dabam Terent. Andr. 3, 3, 13. Olim, q. animum induxisti tuum 5, 3, 12. Olim, q. ceperimus Hecyra 4, 1, 22. Olim, q. honeste potuit, tum non est data Phorm. 5, 7, 19. Tum, q. potuit Heaut. 2, 3, 21. Tum, q. coepit Hecyr. 1, 2, 40. Tum, q. jussit Eunuch. 3, 3, 4. Nunc, q. potest Heaut. 3, 1, 39. Nunc, q. comperi Hecyra 5, 1, 36. Olim — in principio, q. data est Hec. 3, 3, 51.

e. cum significatione als, nullo temporis adverbio praegresso.

Q. exibam, hic erat Plaut. Mil. gl. 2, 2, 25. Q. osculabatur suam 2, 6, 26. Q. auctionem praedicabas Stich. 1, 3, 90. — Q. pugnabant maxime, ego

fugiebam maxime Amphitr. 1, 1, 44. 1, 1, 271. — q. exibam domo Aul. 2, 2, 1. — q. servibas mihi Capt. 2, 1, 50. — q. haud audebat 2, 2, 53. — q. credebam Curc. 4, 3, 9. — q. exponebat Cistel. 1, 3, 39. — q. mittebam Epid. 1, 2, 35. — q. adolescens eras Bacchid. 3, 3, 17. — q. peribat 3, 3, 65. — q. abibam Most. 5, 1, 68. — q. negabas Men. 4, 2, 69. — q. vocabat 5, 9, 84. Eumque heredem fecit, q. ipse obiit diem Poenul. prol. 77. Vidistis, leno q. aurum accepit 3, 4, 13. — q. adduxisti Rud. 2, 6, 13. — q. hic non affui Stich. 4, 2, 1. — q. invocearunt (anno praeterito) Amph. prol. 91. — q. pugnatum est 1, 1, 93. q. peperit 5, 1, 19. — q. inde abiimus Capt. 2, 2, 32. — q. primum nacta est Cusina prol. 17. — q. detulit Bacch. 3, 3, 78. — q. censuit 4, 9, 37. — q. peregre it Mostel. 1, 1, 24. — q. venit Men. prol. 29. — q. obiit diem ib. v. 62. Poen. 4, 2, 82. 5, 2, 110. — q. tuus servus fui Men. 5, 7, 44. — q. dixi 5, 8, 7. Jam abducta erat, q. ad portum venio Merc. 3, 4, 31. — q. non est in apodosi nec idem, quod tum, sed idem, quod tum q. Praesens apud Plautum sic saepe in narrando reperitur, ut: gravidam illam reliqui, q. abeo Amph. 2, 2, 36. — q. ad portum venio Epid. 2, 2, 33. — quot eras annos gnatus, q. te pater a patria avehit Men. 5, 9, 56. Hunc censebat te esse, credo, q. vocat te ad prandium 5, 9, 76. — q. vocat, non esse, quod vocat, intelligitur ex versu praegresso, ubi jam usus erat imperfecto vocabat, cf. Stich. 4, 1, 7. — q. intellexeras Terent. Andr. 3, 2, 37. — q. congregebam Eun. 2, 3, 18. — q. data est Hec. prol. 1. — q. primum coepi v. 27. — in principio q. data est 3, 3, 51. sic Pl. Amph. 1, 1, 48: principio ut. — q. compressa est Hec. 4, 1, 57. — q. stetit Phorm. pr. 9. — q. motus est ib. v. 33. — q. primum attulit Andr. pr. 1. q. primum jussit Eun. 3, 3, 4. — q. advenio, solitudo ante ostium est Andr. 2, 2, 25. Eun. 2, 3, 53. — q. inde abeo, jam tum inceperat turba 4, 4, 58. — q. tibi do istam virginem, dixtine etc. 4, 7, 22. Heautont 4, 1, 37. — atque etiam in oratione obliqua: quid habuisset, q. perit Eunuch. 3, 3, 16.

f. Cum significatione indem, während.

Q. haec metuo, metuo ne ille hue Harpax adveniat Plaut. Pseud. 4, 3, 13. Stich. 1, 1, 34. (potest etiam ad No. 3. referri) Truc. 1, 1, 38. 1, 1, 40. Bacch. 3, 6, 19. 5, 2, 5.

g. Cum significatione indem, dadurch dass.

Stich. 4, 1, 7. Poenul. 3, 1, 16. Captiv. 2, 3, 12. 52. 93. Cistel. 4, 2, 24. Epid. 3, 3, 40. Mostel. 1, 2, 26. 1, 3, 12. Menaech. 1, 2, 46. 2, 2, 24. Terent. Andr. prol. 18.

h. Q. in apodosi.

Jam hos absolutos censeas, treceni q. stant phylacistae Aulul. 3, 5, 44. 47. Tu clamabas deum fidem atque hominum omnium, q. ego occurro teque eripio Men. 5, 8, 5. — q. exemplo Trin. 2, 4, 91. Merc. 2, 2, 24. Pseud. 3, 2, 15. Amphit. 3, 2, 5. Capt. 2, 3, 74. 4, 2, 6. Bacch. 2, 3, 70. Most. 1, 2, 18. 5, 1, 16. cf. 5, 1, 9. Curc. 1, 1, 80. Similiter: quum interim Persa 2, 1, 5—7 bis. — q. interea loci Men. 3, 1, 1. Primo actu placeo, q. interim rumor venit Terent. Hec. pr. 31. Longe jam abieram, q. sensi Eun. 4, 2, 5. — Q. interea exspectabam Hecyr. 3, 4, 8.

2) Q. copulativum cum indicativo. q. — tum.

Q. antehac te amavi et mibi amicam esse crevi, mea Gymnasium, tum id mihi hodie aperuistis Plaut. Cistel. 1, 1, 1. — q. id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia bona dicere Terent. Andr. 1, 1, 69.

3) Q. concessivum, während, obgleich', cum indicativo.

Bene q. simulas facere mihi te, male facis Pl. Trin. 3, 2, 7. Eequid gratiae, quum — evocavi? Poen. 1, 2, 46. Bonae, ut aequum est facere, facitis, q. tamen absentes viros perinde habetis, quasi praesentes sint Stich. 1, 2, 42. cf. 1, 1, 34. Quae tibi mulier videtur multo sapientissima? P. Quae, q. res secundae sunt, se poterit noscere ib. 1, 2, 67. Bene a. — lauta est, tersa, ornata, facta est, infecta est tamen ib. 5, 5, 4. Sat sic suspectus sum, q. careo noxia Bacch. 4, 9, 81. Insanire me ajunt, q. ipsi insaniant Men. 5, 2, 90. De illo jam finem faciam dicundi mihi, peccandi q. ipse de re fine non facit Terent. Phor. prol. 24. (te) otiosum ab animo esse, quum ille et cura et sumtu absumitur ib. 2, 2, 26. Nihil quum est, nihil desit tamen. Eun. 2, 2, 12.

4) Q. causale cum indicativo,

a. Cum significatione indem, da.

Nequeo (nimium flere) quum te video Pl. Mil. gl. 4, 8, 15. Di me servatum volunt esse, q. te adjutorem genuere mihi Pseud. 4, 1, 1 seq. Ego mihi q. lusi, nihil moror ullum lucrum Rud. 4, 7, 22. Nunc placet, q. recte monstras Stich. 1, 2, 89. Nemo est, quem dehinc metuam, q. mihi tua oratione omnem animum ostendisti tuum Asin. 1, 1, 99. Ego te, ut merita es de me et mea re, tractare exsequar, q. (da) tu me, ut meritus sum, non tractas Asin. 1, 3, 9. Obnoxii ambo vobis sumus, q., quae volumus nos, copia est, ea nos facitis compotes Capt. 2, 1, 21. Tum igitur, ei quum in aliis tanta gratia est, ut praedicas, quid, divitiae suntne opimae? Capt. 2, 2, 30. Ergo q. optime fecisti, nunc adest occasio benefacta cumulare 2, 3, 63. Sed quum adhuc naso, odos, obsecutus es meo, da vicissim meo gutturi gaudium Curc. 1, 2, 9. Antiqua opera et verba q. vobis placent, aequum placere est ante veteres fabulas Casina prol. 7. Sine trahi, q. egomet trahor Cist. 1, 2, 117. Q. pallam atque aurum meum domo suppilas, uxori tuae, satin' haec recte fabulor Men. 5, 1, 39. Praesertim q. Asin. 1, 1, 65.

b. Quum significat indem, weil, darüber — dafür — deswegen dass.

Tua pietas nobis plane auxilio fuit, q. hue advenisti hodie in ipso tempore Poen. 5, 3, 18. Nae istoc magis magisque metuo, q. verba audio Pseud. 4, 7, 116. Et pol ego (spero) q. ingenii quibus sumus atque aliae, cognosco. Poen. 5, 4, 12. Hoc (mulierum vitium) e multis maximum est, q. sibi nimis placent 5, 4, 34. Hominem miserum praedicas, q. ipsus prope perditus est et benevolentes perdidit Pers. 4, 4, 95. Adorna, ut rem divinam faciam, quum advenero, Laribus familiaribus, q. auxerunt nostram familiam Rudens 4, 6, 2—3. Q. me adiit, ut pudentem gnatum aequum est patrem, cupio esse, amicae quod det argentum suae Asin. 1, 1, 67. Verum ego meas queror fortunas q.

illo, quem amo, prohibeas Asin. 3, 1, 12. — Et quidem tute errasti, q. parum immersti ampliter Bacch. 4, 4, 26. — Nam ego illum corruptum duco, q. his factis studet Mostel. 1, 1, 28. — Bonam vitam mihi dedisti, hujus q. cōpiam mihi fecisti Cas. 4, 4, 18. — Multa tibi di dent bona, q. mihi hoc obtulisti tam lepidum spectaculum Poen. 1, 1, 81. 3, 3, 54. 74. Pseud. 4, 7, 31. — Di tibi omnes omnia optata afferant, q. me tanto honore honestas Capt. 2, 2, 106. — Insanis, q. interrogas Amph. 2, 2, 121. — Lepidus es, q. mones Poen. 4, 2, 92. — Laudo, malum q. amici tui ducis malum Capt. 1, 2, 48. — Q. ista res male evenit, tibi gratulor Rud. 4, 4, 134. 4, 8, 6. Truc. 2, 6, 35. Di diaeque omnes, vobis magnas ago gratias, q. hac me laetitia tanta affecisti Poen. 5, 4, 104. Trin. 4, 1, 4. Pers. 5, 1, 3. (simul cum quia.) — Rud. 4, 2, 1—3. Capt. 2, 3, 14. 5, 1, 1—6. quater. Curc. 5, 3, 21. Most. 2, 2, 2. Salve, salvus q. advenis Curc. 4, 4, 5. Bacch. 3, 6, 7. — Q. ista res tibi ex sententia pulchre evenit, gaudeo Rud. 5, 3, 9. Amphit. 2, 2, 49. — Q. tu es liber, gaudeo Epid. 5, 2, 46. Menaech. 5, 7, 42. 5, 9, 87. Most. 5, 2, 7. — (Eodem modo positum est postquam Cas. 2, 7, 10.) — Voluptati est, q. Rud. 4, 4, 139. — Volupe est, q. ib. 4, 4, 132. — Q. ille ita est, ut esse nolo, id crucior Trin. 5, 2, 46. Poen. 4, 2, 20. — (sic: diseru-
cior, quia Aulul. 1, 1, 27.) — Cor dolet, q. Most. 1, 2, 71? — Perii, q. Rud. 5, 2, 2. — Hei mihi, q. Men. 2, 2, 30. — Hau mihi, q. Mil. glor. 4, 8, 48. — (postquam Amphit. 3, 2, 30.) — Istuc sapienter fecit, q. dedit Bacch. 2, 3, 104. — Amice facis, q. me laudas Most. 3, 2, 31. — Stulte feci, q. con-
creddidi Menaech. 5, 1, 1. cf. Amph. 3, 1, 4. — Male fecisse censet, q. Me-
naech. 4, 2, 105. Ajunt fecisse facinus maximum, q. Pergamum subegerunt
Bacchid. 4, 9, 1 sq. — Fecit officium suum, q. est confessus verum Capt. 2,
2, 48. — Fecisti facetias, q. donavisti. Stich. 5, 2, 8. — Compendium haud
optabile fecisti, q. nactus (es) Bacch. 1, 2, 52. — Fecisti furtum malum,
q. me celasti ib. 1, 2, 61. — Quoniam Amph. 1, 1, 29. 111. 240. Bacch. 2,
2, 56. — Quia Poen. 5, 2, 117. Pers. 3, 3, 27. Amph. 2, 2, 10. As. 1, 3, 37.
3, 3, 32. Stich. 1, 1, 34. — Diseru-
cior, quia Aul. 1, 1, 27. Casin. 2, 3, 11.
Fastidit, quia 2, 2, 67. — Dolet, quia Capt. 1, 2, 52. — Pudet 2, 1, 9. —
eo fit Curc. 1, 1, 61. — irata est Cist. 1, 1, 104. cf. Mil. gl. 4, 8, 13. — Qnando
Truc. 1, 1, 15. Amph. 1, 1, 111. 234. 284. 3, 4, 12. Curc. 2, 2, 85. 4, 2, 41.
5, 2, 41. Casina 1, 32. 2, 1, 6. 3, 3, 20. Mostel. 1, 2, 14. Capt. 2, 2, 50.

Apud Terentium: Facis, ut te deceat, q. istuc, quod postulo, impetro cum
gratia Andr. 2, 2, 11. Deos quaeso, ut sit superstes, quandoquidem ipse est
ingenio bono, quumque huic veritus est optumae adolescenti facere injuriam
ib. 3, 2, 8. At vero vultu, q. ibi me adesse neuter praesenserat 5, 1, 20.
Magnum hoc quoque signum, dominam esse extra noxiā, q. ejus tam negli-
guntur internuntii Heaut. 2, 3, 58. Quae hic erant, curares, q. ego vos solvi
caeteris Hecyr. 2, 1, 23. Haud invito ad aures sermo mihi accessit, q. te
postputasse omnes res p̄ae parente intelligo ib. 3, 5, 33. Facis injuriam,
q. fingis falsas causas 4, 4, 71. Etsi dudum fuerat ambiguum, nunc non est
q. (da) consequitur alienus puer ib. 4, 4, 26. Q. hoc non possum, illud minus
possem Phorm. 1, 4, 31. Hoc fretus, q. e medio excessit, unde haec sus-
cepta est tibi ib. 5, 7, 74. Nunc, q. non queo (mutare), aequo animo fero

Adelph. 4, 7, 20. Laudo et fortunatum judico, quum stuvisti Heaut. 2, 4, 1. Dis habeo gratias, q. adfuere Andr. 4, 4, 31. Est dis gratia, q. ita, ut volo, est Adelph. 1, 2, 59. Me fortunatissimum factum puto, q. intelligo Heaut. 4, 8, 1. Di tibi bene faciant, q. video Adelph. 5, 7, 20. Bonus es, q. haec existimas ib. 5, 6, 9.

5) Q. consecutivum.

Nam saepe est (= fit), quibus in rebus alius ne iratus quidem est, q. de eadem causa est iracundus factus inimicissimus Hecyr. 3, 1, 28. Prope adest, q. alieno modo vivendum est mihi Andr. 1, 1, 125. At pol. jam aderit, se quoque etiam q. oderit Hecyr. 4, 1, 28.

Apud Plautum cum indicativo sic junctum est. Est ille dies, quum nulla vitae meae salus sperabilis est Capt. 3, 3, 3. — In reliquis locis conjunctivus est; bis cum particula quum: Capt. 3, 3, 1. Most. 1, 3, 1. semel cum quando: Most. 3, 2, 2. semel cum ubi: Capt. 2, 2, 77.

Reliquis locis omnibus Plautinis non minus, quam Terentianis conjunctivus particulae q. adjunctus est, ex quibus tamen Plauti minimum triginta unus, Terentii decem, quoniam conjunctivus ad orationem obliquam pertinet, a disputatione nostra removendi sunt.

Conjunctivus in oratione obliqua positus est apud Plautum. Q. exemplo wenn Plaut. Mostel. 5, 1, 16. Captiv. 2, 3, 74. Mil. gl. 2, 6, 95. Q. wenn ib. 4, 4, 14. Pseud. 1, 2, 35. Poen. 3, 3, 68. Persa 1, 3, 72. Stich. 1, 2, 8, 56. Amph. prol. 128. Asin. 1, 3, 33. 4, 1, 31. 35. Adul. 2, 3, 6. Capt. 3, 1, 13. 3, 5, 66. Cerc. 2, 2, 3. Casin. 1, 46. Epid. 3, 2, 20. — Bacch. 1, 1, 24. tamen h. l. q. veniat, wenn er kommen sollte, jam sua sponte conjunctivo comprehendendi poterat, ut ib. v. 43. — ib. 1, 2, 32. 4, 9, 31. Most. 1, 3, 92. Menaech. 3, 1, 9. — Quum wenn auch: Rud. 2, 6, 49. — Q. obgleich: Truc. 2, 1, 21. — Q. da: Pers. 2, 4, 19. Bacch. 2, 3, 50. Men. 2, 3, 13. — Q. weil: Bacch. 4, 8, 67. —

Apud Terentium. Q. wenn: Andr. 2, 3, 20. Phorm. 5, 4, 3. Eun. 2, 3, 41. Ad. 3, 2, 56. — Q. während: Ad. 1, 1, 9. 2, 1, 12. — Q. weil: 3, 2, 43. — Q. obgleich: Phorm. 5, 1, 6. 5, 7, 35. — Q. da: Andr. 1, 1, 133. Phorm. 1, 4, 25?? Hecyr. 4, 1, 53.

Indicativus in oratione obliqua positus est. Plaut. Pseud. 1, 2, 30. Rudens 2, 6, 13. 4, 6, 2—3. Stich. 4, 2, 1.

Terent. Eun. 2, 3, 41. 3, 3, 16.

Haec vero universa animadverti:

verbis: gaudeo, laetor, voluptati est, volupe est, dolet, gratias ago (habeo), gratalor, crucior, perii, salve, salvus sis, insanis, hei mihi, hau mihi, laudo, di optata afferant, apud Plautum vulgo adjungitur particula q., saepe etiam quando, interdum quoniam; verbis: crucior, doleo, succenseo, iratus sum etiam quia, nunquam, id quod maxime mirum videtur, quod. Bis tantum reperitur simili loco positum: Hospitem inclamavit, quod noluisset Asin. 3, 2, 37. Mil gl. 2, 2, 26.: Nisi mihi supplicium virgarum de te datur, quod inspectavisti meam apud me ho-

spitem. Nam Capt. 5, 3, 19: Quod male feci, crucior modo, si infectum fieri possit et Epid. 1, 2, 33: Miserum est, ingratum esse hominem, id quod facias bene, haud dubie quod est pronomen relativum. Acc. c. inf. reperitur junctus cum gaudeo Cas. 2, 6, 65. 3, 3, 6. Cist. 5, 3. Ep. 1, 1, 5. 1, 2, 25. 3, 3, 14. Bacch. 3, 3, 52. Most. 1, 3, 50. 2, 2, 18. 5, 2, 26. — Aegre est Cas. 2, 7, 6. — Admiror Epid. 5, 1, 21. — Mirum est Bacch. 2, 2, 1. Menaech. 2, 3, 13.

Eodem modo verbum faciendi cum adverbio conjunctum, numquam quod sequitur, sed constanter quum.

Conjunctivus vero particulae nostrae appositus tantum reperitur:

- 1) in oratione obliqua.
- 2) junctus cum altero conjunctivo Most. 4, 2, 15. Trin. 3, 1, 2. Cas. 3, 2, 32.
- 3) in sententiis infinitis, et semper quidem cum secunda persona singularis
- 4) in enunciatis concessivis ter Pseud. 1, 2, 51. — Bacch. 3, 6, 11: Q. censes obgleich man glauben sollte. — Stich. 1, 1, 31.: Q. ipsi interea vivant seq. ubi ea, quae hoc loquitur, vivantne, nec ne, ipsa nescit et tandem hoc suspicatur.
- 5) in enuntiatis causalibus Stich. 1, 2, 15. (5, 4, 3?) Amph. 5, 2, 4. Captiv. 1, 2, 43. Epid. 1, 2, 8. (5, 2, 53?)
- 6) ter cum temporis significatione (wann), in re ita posita, ut esse posse cogitur Capt. 4, 2, 112. Bacch. 1, 1, 24. Casina 2, 5, 27, ubi tamen redierit haud scio an futurum exactum sit.
- 7) cum iterationis significatione Bacch. 3, 3, 29 seq.
- 8) est, q. Capt. 3, 3, 1. (cf. 2, 2, 77.) Most. 1, 3, 1, 3, 2, 2.
- 9) in enuntiato conditionali Persa 2, 1, 5.
- 10) praesertim q. semel tantum reperi, et quidem c. indicativo Asin. 1, 1, 65.
- 11) Denique in narrando semel tantum plusquamperfectum conjunctivi positum est Asin 2, 3, 15. Reliquis locis, qui supra collecti sunt, vulgo utitur particula q. cum perfecto et praesenti indicativi; interdum ut: Amph. 1, 1, 48. — ubi: ib. 1, 1, 61. — postquam: ib. 1, 1, 72. Curc. 4, 4, 2.

Apud Terentium similiter verba: gaudeo, Iaetor, miror, gratiam habeo, laetus sum, acusativus cum inf. sequitur, nunquam quod; verba: laudo, gratias habeo, gratia est, bonus, fortunatus es, injuriam facis, di tibi bene faciant, semper sequitur quum c. indicativo.

Conjunctivus tantum reperitur cum particula quum:

- 1) in oratione obliqua.
- 2) junctus cum altero conjunctivo.
- 3) in enuntiatis infinitis secunda persona elatis.
- 4) semel praegresso verbo optandi Hecyr. 4, 4, 30.
- 5) semel in enuntiato causal: Adelph. 3, 2, 43. semper (ter) cum particula praesertim q. Hecyr. 4, 1, 16. 4, 4, 83. Eun. 5, 2, 24.
- 6) semel in enuntiato conditionali Heaut. 3, 2, 49.

Semel tantum in narrando conj. imperf. positus est Eun. prol. 21: perfecit sibi, ut inspiciendi esset copia; magistratus q. ibi adesset, accepta est agi. Atque haud scio an rectius hic conjunctivus (posito commate post copia, et puncto post adesset) revocandus sit ad orationem obliquam.

Quodsi igitur a disputatione nostra removeamus eos locos Plauti Terentiique, quibus conjunctivus in oratione obliqua positus est, aut cum alio conjunctivo coniunctus, aut propter alias manifestas causas positus, haud sane multi relinquuntur, quibus conjunctivus ita positus est, ut postea consuetudo loquendi ferebat. Siquidem in narrando, in concessivis enuntiatis, causalibusque, quibus postea maxime increbuit, raro locus est conjunctivo. Particula q. igitur, ut est relativa, tantum significabat, sententiam ad alteram pertinere, quomodo pertineret, quoniam nec verbo satis finito, nec forma verborum (conjunctivo) notatum erat, audienti ipsi judicandum relinquebatur.

Verum de usu nostrae particulae apud Plautum Terentiumque satis dictum videtur quum ad rem naturamque ejus apud illos scriptores, tum ad usum inse-quentis aetatis intelligendum.

Est autem haec particula, ut antea jam vidimus constructione simillima pronomi relativo, quod quidem, quum tantum appositionis loco nominibus adjungitur proprietatibusque eorum notandis inservit, cum indicativo, quum interior quidam sententiarum nexus notatur, cum conjunctivo construitur. Eodem modo etiam particula quum, nisi interiore quadam ratione sententia ad alterum refertur, indicativum sibi adsciscit.

Interiores autem illae rationes aut causae sunt, aut effectus, aut conditionis aut concedendi, aut sententiae infinitae, quae quidem omnes ejusmodi sunt, ut non tam rebus ipsis adhaerescant, quam ab eo, qui loquitur inferantur. Verumtamen, quid sentiam magis apparebit, quum singulos locos exsequar.

I. Primum igitur q. causale conjunctivum requirit. Quae q. ita sint, effectum est, nihil esse malum Cic. Tusc. 3, 8. Quum pateat igitur, aeternum id esse, quod se ipsum moveat, quis est, qui hanc naturam animis esse tributam neget C. Tusc. 1, 23, 54. In quo tamen hoc animadvertisendum est, nec q. particulam ipsam causam significare, nec hanc causam causam esse conjunctivi. Nam apud Plaut. Capt. 3, 3, 1.: nunc illud est, q. me fuisse, quum esse mavelim — enuntiatio extre-
mo continetur eventus (effectus). Fieri autem non potest, ut eadem particula duas res contrarias causam atque eventum significet, sed ipsa semper est tempori-
ris, ac modo tempore aut cogitatione praecedens modo consequens enuntiatum al-
teri adjungit. Similis ratio est particulae imo, quam modo verbo ja, modo verbo
nein reddimus, q. tamen, si subtilius quaerimus, neutra vera significatio sit, nec omnino esse possit.

Jam ne causa quidem ipsa est causa conjunctivi. Nam si ita esset relinquaet etiam particulae causales (quoniam, quia, quod) conjunctivum requirent, ut recte monet Fritsch Kritik p. 313 sq. et Herling, vir acutissimus, in libro suo egregio die Lehre vom Tempus und Modus 1840. p. 77. In exemplo igitur supra laudato C. Fin. 3, 8. esset dicendum: quae quoniam (quia, quod) ita sint sq.; quod tamen, nisi aliae causae coniunctivi ponendi accedunt, (ut Cic. Cat. Maj. 2, 4: quod sen-
serim), usus loquendi improbat. Non igitur causa ipsa h. l. efficit conjunctivum,
sed quod illa causa posita est ex sententia loquentis; in quo tametsi dubium esse potest, sitne illa causa vera, necne, tamen non existimare debemus,
tantum in rebus incertis et dubiis ita locutos esse Romanos. Valuit enim haec lo-
quendi consuetudo apud Romanos universos, ut cum humanitate quadam et quasi sibi

diffidentes, quae judicabant, etiamsi maxime explorata haberent, non ita esse, sed ita sibi videri dicerent, quod adeo animadvertisit in senatus judicumque decretis, velut: „recte et ordine fecisse Scipionem videri“ Liv. (quo loco, nunc non operae est quaerere) et „videri jure fecisse Cajum.“ Non igitur mirum videbitur, cur magis ad elegantiam urbanitatemque excultis hominum ingeniosis Ciceronis aetate consuetudo ista ita increbuerit, ut in nostra quidem particula paene una valeret. Nam apud Plautum quidem Terentiumque supra vidimus, quum causale raro cum conjunctivo junctum esse, et vulgo poni quum cum indicat, aut quoniam, quia, quando. Conjunctivus apud illos positus est: Tum si maxime fateatur, q. amet aliam, non est utile hanc illi dari. Terent Adelph. 3, 2, 43. Praeterea q. praesertim e. conj. ter. Heeyr. 4, 1, 16. 4, 4, 83. Eun. 5, 2, 24. — Quae futura et quae facta eloquar multo adeo melius, quam illi (harioli), q. sim Jupiter Plaut. Amph. 5, 2, 4. Alienus q. ejus incommodum tam aegre feras, quid me patrem par facere est, cui ille est unicus Capt. 1, 2, 43. Quid mihi opus est decurso aetatis spatio cum iis gerere bellum, q. nihil, quamobrem faciam, meruisse arbitr Stich. 1, 2, 15. (cf. 5, 4, 3.?) Ipsus probior es, q. in amore temperes Epid. 1, 2, 8, ubi Jacob, indicativum apud Pl. poni, nisi ut praecedat, quam recte dixerit, ex his et superioribus apparebit. Nam Plaut. Most. 4, 2, 15: tibi obtemperem, q. tu mihi nequeas? cf. Epid. 4, 2, 18: non patrem ego te nominem, ubi tu tuam me apelles filiam? — Terent. Hecyr. 4, 4, 36: nunc, q. ejus alienum a me animum esse sentiam, quamobrem reducam? — Eun. 3, 5, 18: quid ego ejus tibi faciem praedicem, q. ipsum me noris, quam elegans formarum spectator sim. (cf. Phorm. 1, 4, 31 indicat.) — conjunctivus in enunciato secundario ad primariae sententiae conjunctivum referendus esse videtur. Reliquis igitur locis omnibus Plauti Terentiique q. causale cum indicativo junctum est. Quamobrem mihi persuadere non possum, eos locos Ciceronis, quibus a vulgari consuetudine aetatis suae recedens indicativum posuit, suspectos, mutandosque esse, nec recte mihi Matthiae, vir prudentissimus, ad C. Mil. 36, 99. conjunctivum tueri videtur, nec magis jure Otto ad Cic. Fin. 2, 13, 43. q. mutare in quoniam, nec Ernesti est in sit. — Nam quum conjunctivus non necessaria quadam ratione requiratur, sed a judicandi quadam modestia loquentis proficiscatur, haud sane intelligo, cur non potuerit, si quando nullam rei incertae significationem, quae conjunctivo adhaerere solet, relinquere vellet, indicativo uti, praesertim quum et veteres ita locuti essent, et in aliis locis huic similibus indicativus etiam illa aetate retineretur. Nihil autem probare videtur Grotfend Commentar zu den Materialien lat. Stilüb. Exc. II. p. 271, q. dicit: q. cum indicativo positum esse pro quoniam, nisi forte hoc dicit: q. non solum causam conjuncte et ad cogitationem loquentis relate, sed etiam, ut quoniam particula, nude et absolute afferre. Est autem indicativus apud Ciceronem: pro Quint. 20, 65: quod q. ita est, ex edicto bona possessa non sunt. — Ubi si quis dicat, q. esse temporis, dicit quod ego volo; sed tamen non poterit negare, verbis quod q. ita est contineri causam alterius sententiae. Quodsi tamen recedens a vulgari loquendi consuetudine indicativo usus est Cicero, non rem ipsam, sed cogitandi modum mutavit, nec quid ipsi videretur, sed quid vere esset, verbis expressit; non dixit: da dieses so sein möchte, nec: wenn dieses so sein sollte, sed: da (wenn) dieses so ist. C. p. Mil.

36, 99: Te quidem, q. isto animo es, satis laudare non possum. cf. Plaut. Capt. 1, 2, 48. Liv. 39, 12: jam id ipsum consul laudare, q. initiatam se non infitiaretur; qui locus superiori simillimus est; nam conj. infitiaretur positus est, quod oratio ad sententiam consulis refertur; ipse dixit: te laudo, q. non infitiaris. C. Fam. 11, 2: quae profecto, q. istum animum habes, in optimam partem accipies; ad quem locum Fritsch. l. l. p. 315 recte monet, si conjunctivum posuisset, parum humaniter eum dictum fuisse. — C. Planc. 12, 29: cujus quantam honoris cupiditatem fuisse creditis, q. videtis luctus societatem; quam lectionem Wunder cum codd. B. et E. h. l. probavit. — C. Fin. 2, 13, 43: quae q. Aristoni et Pyrrhoni omnino visa sunt pro nihilo, ut inter optime valere et gravissime aegrotare nihil prorsus dicerent interesse, recte jam prius contra eos desitum est disputari. — Quo quidem loco, qui recensuit Ottonis editionem (Zeitsch. f. Alterthumswissenschaft 1834. 12. 106.) incommodate laudat Cic. Fin. 2, 17, 57, commode C. Or. II, 37. — At eo meliore conditione, quam adolescens, q. id, quod ille sperat, hic jam consecutus est C. Cat. Maj. 19. — cf. Tusc. 3, 2, 3. — Eodem modo Virgilius: Non tamen omnino Teucros delere paratis (dii), q. tales animos juvenum et tam certa tulistis pectora Aen. 9, 148. et Liv. 22, 59: si medius filius ipse in nos mitis Hannibal contra naturam suam esse velit, nihil tamen vita nobis opus esse censeamus, q. indigni, ut a vobis redimeremur visi sumus. — Caesar B. C. 3, 18: quid mihi, inquit, aut vita, aut civitate opus est, quam beneficio Caesaris habere videbor; cuius rei opinio tolli non poterit, q. in Italianam, ex qua proiectus sum, reductus existimabor; ubi laudatum ab Herrogo exemplum Cic. Phil. VII, 6. alienum est. — Non igitur audiendus videtur Billroth lat. Gr. §. 316- A. 3, qui cum Matthia praef. ad Cic. epist. select. p. X. q. in quoniam aut quando semper mutandum esse censem.

Et loci quidem laudati, quorum numerus haud dubie augeatur, si quis hoc uno consilio scriptores excutere, quaeque in illis ad normam grammaticorum mutata sunt, restituere velit, confirmantur etiam aliis, qui et simillimi sunt superioribus nec dubii; eos dico, in quibus verbis laudandi, gaudendi, dolendi, cruciandi, gratulandi et adjективis similibus, denique verbis faciendi et agendi cum adverbis copulatis, causa, cur quis ita animo affectus sit, aut ita fecerit, particula q. cum indicativo juncta apponitur, in quibus semper indicativus reperitur, positusque videtur pro id quod (deswegen weil, darum dass, dass), ut apud Plaut. Trin. 5, 2, 46: q. ille ita est, ut esse nolo, id crucior Terent. Phorm. 5, 7, 74: ego vos redigam in gratiam hoc fretus, q. e. medio excessit, unde haec suscepta est; ubi etiam pronomina demonstrativa id, hoc, posita videmus, ut Liv. 8, 8. Sed quae sunt apud Plautum Terentiumque exempla ex hoc genere, jam supra posui; satis igitur est, h. l. quaedam alia proferre, quae apud Cic. Liv. Sall. reperi C. Fam. 9, 14, 6: gratulor tibi, q. tantum vales apud Dolubellam. — Fam. 13, 24, 3: tibi gratias ago, q. tantum literae meae potuerunt. — Fin. 3, 2, 9: praecclare facis, q. et eorum memoriam tenes, et puerum diligis cf. Stallbaum ad Ruddim. II, 233. — c. Fam. 3, 10, 2: injuriam enim mihi fieri putabam, q. rogabar. — Liv. 8, 33; bene agis, q. eo nos deduci jussisti, unde et privati vocem mittere possemus. — Auct. ad Heren. 4, 50: bene facitis, q. venitis. — C. de Am. 25: horum est assentatio molesta, q. ad vanitatem accessit auctoritas. — C. Verr.

II, 1, 46 ex: ridiculi videbantur esse, q. Sacerdotem exsecrabantur, qui Verrem tam nequam reliquisset. — cf. Verr. II, 2, 6 et Sall. Jug. 102, 5: magna nobis laetitia est, q. te talem virum dii monuere, ut aliquando pacem, quam bellum malles; ubi vide Kritz. — C. Planc. 8, 19: laetali sunt q. viderent, est temporis; causa enim, cur laetali sint, continuo post subjungitur verbis quod intulisset. — Plaut. Epid. 5, 2, 53: sed ut acerbam est, pro benefactis, q. mali messem metas, hoc non pertinet, et conjunctivus, non a causae significatione repetendus est, sed a sententia infinita, de quo loco infra dicetur.

Huic loco proxime accedunt illi loci, quibus particula q. significat dadurch dass, indem, qui sunt ejusmodi, ut duae res conjunctae eodem tempore aut fieri aut factae esse dicantur, ita tamen, ut una etiam alterius causa esse possit videri, quamobrem etiam interdum q. particula weil non incommodo redditur, modo hoc teneatur, Latinos non tam causae, quam temporis rationem habuisse. Vulgo autem his locis ponitur indicativus aut perfecti aut praesentis, interdum etiam, imperfecti et plusquamperfecti. Sic robustus animus et excelsus omni est liber cura et angore, q. et mortem contemnit, et ad dolores ita paratus est, ut meminerit C. Fin. 1, 15, 49. q. est dadurch dass, indem, non ut Otto ad h l. vult, wenn; neque enim aliquo tempore, sed semper contemnit mortem; est enim hoc proprium excelsi animi. — De illo autem, penes quem est omnis potestas, nihil video, quod timeam, nisi quod omnia sunt incerta q. (non, wenn, sed aut dadurch dass, aut weil) a jure discessum est C. Fam. 9, 16, 3. Nunc vidiisse mihi multum videris, q. prope desperatis his rebus te in Graeciam contulisti, C. Fam. 7, 28, 1. q. non pertinet ad nunc, ut videmus ex epistola 30, 1.

Te ipsum quodammodo violavit, q. in me tam improbus fuit C. Att. 9, 15, 5. — Si tibi magistratum abrogasset, minore te ignominia affecisset, quam q. ea, quae in magistratu gesisti, sustulit C. Verr. II, 2, 58. in. — Callicratides verit ad extremum omnia, q. consilio non paruit eorum, qui classem ab Arginusis removendam putabant C. Off. I, 24. — Q. has tribus edidisti, ignotis te judicibus uti malle, quam notis judicavisti C. Planc. 17, 42. — Q. ejecerunt C. Planc. 29, 70. — Q. illigavit C. Tusc. 1, 25, 63. — Q. dixistis C. l. Man. 20, 59. — Q. jussit C. Repl. 2, 7. — Q. sustulit C. N. D. 1, 43 ex, ubi continuo post q. dicat, non cum Davisio et Heindorfio q. dicit scriendum est, quod q. est concessivum. — Q. imitatus est C. N. D. 3, 30, 74. — Servatum deinde bello patriam iterum in pace haud dubie servavit, q. prohibuit migrari Vejos Liv. 5, 49. ex. — Timorique perpetuo ipsum malum continens fuit, q. signa infesta portis sunt illata ib. 5, 39. m. — Quid iste magistratus in repl. mali facere posset, indicarunt, q. ira finitae potestatis Mamercum Aemilium aerarium fecerunt Liv. 9, 34. — Quae q. taces, nunc esse concedis C. p. Rose Am. 19. — Q. hoc modo accusus, nonne palam dicis ib. 21. C. Planc. 4, 9. Hoc q. scribit, illud ostendit C. Verr. II, 3, 55. in. II, 2, 60. ex. Q. praecipitur C. Tusc. 2, 21. in. Q. timet C. Off. 1, 7. ex. Q. vultis C. N. D. 1, 43. ex. Q. ponitis ib. c. 44. in.

Quam postea tibi tu defensionem relinquebas, in ea maxime offendisti, q. tuam auctoritatem tute ipse edicto provinciali repudiabas. C. Verr. II, 1, 43. — Q. impetrabatur, hoc videlicet impetrabatur ib. II, 3, 48. m. Q. collocabant ib. II, 2, 35. m. (Nep. Att. 9.) Exspectationem non parvam attuleras, q. scri-

pseras C. Att. 3, 18, 1. — Conjunctioni quales sunt apud C. p. Rose. Am. 25, 70: sapienter fecisse dicitur, q. de eo mihi sanxerit, quod fantea commissum non erat et Liv. 8, 19: quem extra culpam belli esse, ipsum Vitrivium judicasse, q. receptaculum fugae Privernam habuerit. — cum eo, quod supra dixi, non pugnant, quod ab oratione obliqua repetendi sunt.

II. Jam vero conjunctionis omnium temporum sequitur particulam q., quam sententia, quae a particula q. ducta est, alteri dissimilis aut contraria est, ut conjunctiones inter se pugnare videantur, quibus locis nos utimur vocibus während, obgleich. Huc non pertinent: Q. haec agebantur, Chalcide erat Antiochus Liv. 36, 15. in. Q. haec Romae agebantur, Chalcide Antiochus sollicitavit civitatum animos Liv. 36, 5. in. Q. haec in Hispania gerebantur, comitiorum jam appetebat dies Liv. 35, 8; in his enim, quoniam q. (während) una temporis ratione habita enuntiata inter se conjungit, nulla causa est conjunctioni ponendi. — At vero apud Caes. C. 3, 61: nam ante id tempus nemo ad Pompejum transierat, q. (während, obgleich) paene quotidie a Pompejo ad Caesarem perfugerent. Caes. C. 3, 7: sed neque illi, sibi 'confisi ex portu prodire ausi sunt, q. Caesar omnino duodecim naves longas praesidio duxisset sq. — non temporis solum ratio habetur, sed simul hoc notatur a scriptore: duas illas res tempore eodem gestas inter se pugnare, i. e. parum consentanum esse, ut ii, qui tanta navium multitudine superarent (habebant enim Pompejani duces CXXVIII naves) parum sibi confiderent in tanta paucitate hostium. Verum ne dissimilitudo quidem rerum per se poterat efficere conjunctionem; neque enim, ut supra vidimus in conjunctione ponendo tam id spectatur, quod quisque dicat, quam quomodo dicat; sed conjunctionis hoc loco est concedentis, unam rem factam esse, qua altera tolli videatur. Mochte immerhin das Eine geschehen sein, wodurch das Andere aufgehoben zu sein schien, es geschah das Andere doch. — Mochte Caesar immerhin überhaupt nur 12 Kriegsschiffe zur Bedeckung mitgeführt haben, sie wagten es doch nicht. — Ex quo etiam intelligitur, cur his ipsis locis indicativus quoque reperiatur. Potest enim fieri, ut is, qui loquitur, aut rerum dissimilitudinem ipse non curet, aut, quid ipse sentiat, verbis non exprimat, et modo res, ut actae sunt, ponat, quaeque sit earum rerum ratio legenti relinquat dijudicandum: tum igitur, sublata conjunctioni ponendi causa, indicativus ponitur. Atque etiam illud intelligitur, cur pro suo quisque suaequa aetatis ingenio, indicativo Cicero, Plautus conjunctione raro utatur. Nam apud Plautum, si subtilius quaerimus, unum tantum exstat exemplum conjunctioni ita positi Pseud. 1, 2, 51: eo (vino) vos vestros panties adeo modifacitis, q. ego sim hic siccus. Nam Stich 1, 1, 31: q. ipsi interea vivant. — est oratio opinantium et Bacch. 3, 6, 11: q. censeas esse amicos, est sententia conditionalis, et nobis quoque dicendum est altero loco: während (obgleich) sie leben mögen (non: leben) altero: während (obgleich) man glaubensollte, (non: glaubt). — Reliquis locis Plautinis omnibus, quos supra collegi, indicativus positus est et apud Terentium conjunctionem reperitur.

Exempla autem conj. positi ejusmodi sunt, ut enunciatum secundarium aut antecedat, aut subsequatur, et cum antecedit, alterum enunciatum aut verbis tamen (de quo omittendo vid. Daehne Nep. Arist. 3, 2.), nihil minus, notetur, aut nullis. Quin hoc ipso tempore, q. omnes a meis inimicis faces invi-

diae subjiciantur, tamen in omni hominum coetu et omni sermone celebramur C. Mil. 35, 98. cf. Matthiae ad h. l. et Hottinger Cic. Eclog. p. 102. et 190. — Has tabulas Marcellus, q. omnia illa victoria sua profana fecisset, tamen religione impeditus non attigit C. Verr. II, 4, 55. in. — Cui q. ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent, fuere tamen cives sq. Sall. Cat. 36, 4, 1; ubi errat Kritz, quum dicit, sequente tamen q. praegressum semper esse quanquam, ut appareat ex C. Verr. II, 3, 54. in. C. Rosc. Am. 22, 62. Repl. 2, 4. in, de quibus infra dicemus, et nihil ad nostrum rem dicit Goerenz. C. Legg. 1, 8, 24; a quo laudatur Sall. Cat. 51, 6. — Quum (obgleich, non: weil) ex eo efficiatur, satis magnam in virtute ad beathe vivendum esse vim, nibilo minus hoc agunt separatim C. Tusc. 5, 7, 19. — Cretensium legati, q. in earum insula noster imperator exercitusque esset, ad C. Pompejum in ultimus terras venerunt C. leg. Man. 16, 46. — Et q. ipse nihil ex praeda domum suam reportaret, locupletare cives non destitut C. Repl. 2, 9. — Quod idem q. vestri faciant, non satis magnam tribuunt inventoribus gratiam C. Fin. 4, 5, 13. cf. C. Verr. II, 2, 65 ex., ubi cum Zumptio haud dubie legendum est: qui — gesserunt — exceperunt. Primo inflatu tibicinis Antiopam esse ajunt, aut Andromacham, q. (während dagegen) id nos ne suspicemur quidem C. Acc. 2, 7, 20. — Huc etiam referendus est conjunctivus C. Verr. I, 1, 6. in: simulat, se eorum praesidio confidere, q. interea aliud quiddam jamdiu machinetur.

Indicativum apud Ciceronem semper ita positum reperi, ut tamen sequatur in apodosi. Verr. II, 2, 5: haec q. omnia facta sunt, tamen unam solam scitote esse civitatem Mamertinorum sq.; ubi tamen, quum indicativus a consuetudine Ciceronis omnino abhorreat, cum Victorianna et Lagom 42 Zumptius jure mutasse videtur vulgatam in sint. — Reliqui loci, quos reperi, sunt: Phil. 1, 15: o beatos illos, qui, q. adesse ipsis propter vim armorum non licebat, aderant tamen, atque in medullis populi Romani atque visceribus haerebant. — Fam. 3, 7, 5: q. ea consecutus nondum eram, quae sunt hominum opinionibus amplissima, tamen ista vestra nomina nunquam sum admiratus. — Verr. II, 3, 54 in: q. bellis Carthageniensibus Sicilia vexata est, et post, nostra patrumque memoria, q. bis in ea provincia magnae fugitivorum copiae versatae sunt, tamen aratorum interitio facta nulla est. — p. Rosc. Am. 22, 62: in quo scelere etiam q. multae res convenisse unum in locum atque inter se congruere videntur, tamen non temere creditur. — de Repl. 2, 4. in: jam qui incolunt eas urbes, non haerent in suis sedibus, sed voluci spe et cogitatione rapiuntur a domo longius, atque etiam q. (selbst wenn) manent, animo tamen excurrunt et vagantur. — In tribus prioribus locis plus valuisse apud eum videtur temporis ratio, quam dissimilitudinis, in quarto et quinto significare voluisse videtur: wenn sie wirklich bleiben, wenn die Umstände wirklich zusammenzutreffen scheinen. Nam p. Rosc. Am. continuo post, exaggeratis omnibus suspicionis signis, ita pergit: haec q. sint omnia, tamen sq. (i. e. und wenn dieses auch alles sein sollte).

Eodem modo indicativum cum pron. relativo junctum reperimus Liv. 28, 40: ego autem primum illud ignoro, quemadmodum jam certa provincia Africa consulis sit, quam nec senatus censuit, nec populus jussit; ubi, si voluisset, scribere potuit: censuerit, jusserit; sed haud scio an indicativus magis etiam accommodatus sit

gravitati Fabii senis, qui continuo post etiam ita pergit: consulem peccare arbitror, qui senatum ludibrio habet. Contra Cicero ex more suo Phil. 2, 42: qui chirographa Caesaris defendisset, lucri sui causa, is leges Caesaris easque praeclaras, ut rem publicam concutere posset, evertit. —

III. Sequitur tertius locus conjunctivi cum particula q. conjuncti. Quemadmodum enim pronomen relativum in enunciatis consecutivis cum conjunctivo copulatum vulgo legitur, eodem modo q. quasi consecutivum cum conjunctivo positum reperimus. Solent enim Latini consecutionem non ut rem veram, sed ut cogitatem verbis efferre. Sunt, qui dicant, non est: es giebt Laute, (und) die sagen, sed: es giebt Laute, mit deren Eigenthümlichkeit das Sagen verbunden gedacht werden muss (darf, kann etc.). Similiter nos quoque interdum rem ad cognitionem referimus, ut: endlich trat ein Mann auf, durch den der Staat zerstört werden sollte (pro zerstört wurde); er reiste nach Rom, um dort zu sterben, de eo, qui, q. proficiscebatur, alia omnia magis, quam mortem cogitavit. — Ex illa consuetudine Latinorum conjunctivus quoque hic particulae q. adjunctus repetendus esse videtur. ut. Caes. Gal. 6, 24: ac fuit antea tempus, q. Germanos Galli virtute superarent. — Varr. R. R. 3, 1, 1: fuit tempus, q. rura colerent homines. — C. Mil. 26: illucescit aliquando ille dies, q. tu gravissimi hominis fidem desideres. — Ter. Heaut. 5, 4, 1: si unquam illum fuit tempus mater, q. ego tibi voluptati fuerim. — Virg. Aen. 10, 503: Turno tempus erit, magno q. optaverit emtum intactum Pallanta et q. spolia ista diemque oderit. — C. Phil. 10, 1: q. nunquam tam frequens senatus fuit, q. unus quis tuam sententiam secutus sit. q. haud dubie h. l. est consecutivum. Huc etiam fortasse pertinet Caes. G. 1, 23. in. — Alienus haud dubie a nostra ratione est locus Cic: Att. 3, 3, non 3, 1, ut a Wernsdorffio laudatur ad C. Phil. 1, 10, 1., sed simillimus est loco Terent. Hecyr. 4, 4, 30, ubi conjunctivo consilium indicatur.

Atque etiam apud Plautum, haud sane magnū conjunctivi sectatorem, ita conjunctivum interdum videamus positum. Capt. 3, 3, 1: nunc illud est, q. me fuisse, quam esse mavelim. — Most. 1, 3, 1: jam pridem ecastor frigida non lavi, nec (intel: est) q. me melius rear defaecatum. — sic: quando Most. 3, 2, 2: nec (intel: fuit) quando esca una meruerit magis. — et ubi Capt. 2, 2, 77: est etiam, ubi profecto damnum praestet facere, quam lucrum. —

Indicativus positus est: C. Invent. 1, 2: fuit quoddam, tempus, q. in agris homines passim bestiarum more vagabantur. — C. Off. 2, 10. in: incident saepe tempora, q. ea, quae maxime videntur digna justo homines commutantur. — C. Off. 3, 12: incident saepe causae, q. repugnare utilitas honestati videtur. — Liv. 7, 32: fuit, q. hoc dici poterat. Terent. Hecyr. 3, 1, 28: nam saepe est, quibus in rebus aliis ne iratus quidem est, q. de eadem causa est iracundus factus inimicissimus.

Indicativus autem hic eodem modo judicundus est, ut in pronomine relativo, de quo accutissime eget Billroth lat. Gramm. §. 316. Anm. 1. b. et A. 2. — Madwig lat. Schulgr. §. 363. totum hunc locum refert ad sententiam infinitam.

